

ras, quando ad forum externum sunt delicta. Concordat Leo in Praxi Pœnitentiæ part. 1. de Forma Voti. Vers. At non est eadem ratio pag. 22. dicens, quod absolutiones à peccatis jure Divino exigunt Sacramento Confessionem, Et part. 4. in principio. Vers. Idemque; & multò magis, pag. 401. ubi docet, dispensationes esse concedendas in foro exteriori, præter culpam; que quando adest, necesse est, ut solatur per Sacramentalem Confessionem, & in foro interiori.

Porro sæculis antea hæc enormium culparum, publicè commissarum, & scandalum toti populo ingentium, publica Confessio, & publica Pœnitentia erat in usu, ut constat ex Historicis supraratis, ac in Annalibus Ecclesiasticis, in quibus frequenter, eaque eximia pietatis, & contritionis habentur exempla, inter quæ illa Ludovici Pii Imperatoris, Henrici IV. Germaniæ Regis, Sveonis Regis Daniæ; Guillelmi Primi Angliæ Regis, ac aliorum Principum pœnitentium, quos summatim refert Spondanus in Indice ad Annal. Verb. Pœnit. & Reginaldus in eorumdem Annalium prosecutione, Anno 1218. n. 36. de antedicto Othone Imperatore; & Anno 1339. num. 67. & seq. de Albino, ac Mastino Scaligeris, qui Episcopum Veronensem occiderant; necnon Anno 1345. num. 13. de Jacobo Rege Majoricæ, qui in Concilio Papali coram Cardinalibus, & Clemente VI. Summo Pontifice publicè confessus est homicidium, quod in personam filii Arnaldi Domini Roccafolii commiserat, petens suppliciter veniam, ac absolutionem. Nunc recesserunt ab aula publicæ Pœnitentiæ, quamvis eas ad praxim iterum reduci, quando ab aliquo publicè, & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensus, commotique fuisse, non sit dubitandum cupit Concil. Tridentinum sess. 24. de Ref. cap. 8. & in Concil. Provin. Mediolanen. III. in tit. de iis, que ad Pœnitent. Sacramental. pertinent. 25. S. Suedat Episcopus, præcepit S. Carolus Borromæus; ac opere compleverit, dum Officialis Regiis, à quibus ministri Curie suæ Archiepiscopalis læsi fuerant, censuris interitos, publicè pœnitentes absolvit in porta majori Ecclesiæ Metropolitanæ, ut narrat Giustanus in ejus Vita lib. 2. cap. 24. At, hodie raræ esse hujusmodi publicas Confessiones, ac pœnitentias, dicendum est, quia, ut scribit Jo: Majoric. in 4. dist. 14. q. 2. col. ult. nunc parum profecerit; & utinam non pauci essent, qui etiam à Confessione auriculari, ac secreta non abstinerent.

DECISIO XVII. ARGUMENTUM.

Probatur usus Confessionis Sacramentalis & secretæ ad aures Sacerdotum ab exordio Ecclesiæ, per omnia subsequenter sexdecim sæcula, Testimonio Sacræ Scripturæ, SS. Patrum, & Conciliorum: necnon exemplis ab Historicis, vitisque Sanctorum desumptis,

SUMMARIUM.

- 1 SS. Apostoli audiebant Confessiones Sacramentales.
2 S. Clemens Papa, & Martyr commendat Sacramentalem Confessionem.
3 S. Dionysius Areopagita reprehendit Confessarium nimis rigidum.
4 S. Ireneus agit de Confessione Sacramentali.
5 Exomologesi idem est ac Confessio Sacramentalis.
6 Gentiles cur adorari à Christianis virilia Sacerdotum dicentur?

- 7 Confessionis Sacramentalis usus in tertio sæculo, & num. 8. pro quarto sæculo.
9 S. Ambrosius in auscultandis Confessionibus Sacramentalibus assiduus.
10 Confessio usitata in quinto sæculo.
11 S. Jo: Chrysostomus Confessiones Sacramentales audiebat.
12 Sexti Sæculi testes usitate Confessionis.
13 Septimi sæculi alii testes.
14 Pipinus Dux Neustriæ quanta humilitate accedebat ad Confessionem Sacramentalem Anno 631.
15 Octavi sæculi probationes usus Confessionis Sacramentalis.
16 Noni sæculi testimonia Confessionis præditæ.
17 Gloria, Laus, & Honor, &c. ut in die Palmarum quis auctor?
18 Decimi sæculi probationes pro Confessionis præxi.
19 Undecimi sæculi de eadem testes.
20 Diabolus non potest proflare peccata Confessa Sacerdotibus.
21 S. Bernardus, & Magister Sententiarum testantur usum Confessionis Sacramentalis sæculo XII.
22 Concilium Lateranense IV. Anno 1225. præcepit semel saltem in Anno confiteri peccata.
23 Doctores de Confessionis Sacramentalis usu tractantes in sæculis XIV. XV. & XVI.
24 Petrus de Osma Hereticus damnatus Anno 1478.
25 Joannes Wicleff damnatus tamquam Hereticus Anno 1438.

Diximus in præcedenti Decisione num. 2. Confessionem Sacramentalem esse faciendam secretè ad aures solum Sacerdotis esse institutione, & mandato Christi, ut definitum est à Concilio Tridentino sess. 14. Can. 6. ibidem relato, qui quidem Canon tollit omnem dubitandi ansam, quia reddit hanc veritatem infallibilem, cum emanaverit in Concilio Œcumenico confirmato à Summo Pontifice, ut bene docet Fagnanus ad cap. Major. num. 36. de Baptismo; Nihilominus ad majorem studioforum intelligentiam, ac eruditionem non me piget hic summatim referre auctoritates, ac testimonia tum Sacræ Scripturæ, tum Sanctorum Patrum, quibus manifestè demonstratur, auricularem, & secretam Confessionem peccatorum ad aures Sacerdotis ab initio Ecclesiæ, ac tempore Apostolorum incepisse, & semper continuatis temporibus fuisse in usu.

Et equidem pro primordio Ecclesiæ, facta Sacramenti Pœnitentiæ institutione à Christo Domino ut ostendimus Decif. XII. num. 1. & 2. ejusdem Sacramenti administrationem exercuisse Apostolos, testantur eorum Acta cap. 19. Vers. 18. in illis verbis: Multique credentium veniebant confitentes, & annuntiante aures suorum; Versio Syriaca legit offensus suas; quod, ut notat ibidem Tirinus, de secreta, & particulari Confessione, quæ fit in Sacramento Pœnitentiæ accipit Œcumenicus, Hosius, Ruardus, Tappeus Gagnejus, Baronius, Salmeron, Sanchez, Bellarminus, Valentia, à Lapide, & alii. Et cum scribat Jacobus Apostolus cap. 5. Vers. 16. Confiteamini alterutrum peccata vestra, & Evangelista Joannes in Epist. 1. cap. 1. Vers. 9. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & iustus Deus, ut nobis peccata nostra dimittat: utique demonstratur usum Confessionis Sacramentalis ad aures Apostolorum, ac Sacerdotum subinde ab eis ordinatorum ad remittenda peccata continentium, quia, ut ait Tirinus in Indice Tertio Controversar. Fidei Controv. 23. num. 7. Sacerdotes non poterant rectè judicare de peccatis, nisi illa cognoscerent; cognoscere autem non poterant, nisi pœnitentes illa aperirent. Hinc S. Clemens Papa, & Martyr, qui fuit discipulus

- 1 Ius SS. Apostolorum, Petri & Pauli, juxta illud ad Philippenses c. 4. n. 3. Adjura illas, que tecum laboraverunt in Evangelio cum Clemente, & ceteris adiutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vite; & qui Pontifex creatus fuit Anno Domini 93. Domitiani verò Imperatoris Decimo; in sua Epistola secunda ad Corinthios, loquens de Confessione Sacramentali, hæc habet: Quamdiu sumus in hoc mundo, de malis, que in carne gessimus, ex toto corde resipiscamus, ut à Domino salvemur; dum habemus tempus pœnitentiæ; Postquam enim à mundo exivimus, non amplius possumus ibi confiteri, aut pœnitentiam agere: ubi per pœnitentiam intelligit satisfactionem, per Confessionem verò, secretam peccatorum coram Sacerdote accusationem. Sed & S. Dionysius Areopagita, qui pariter fuit Divi Pauli Apostoli discipulus, reprehendens Demophilum Sacerdotem, qui alium ei sua peccata confitentem rigidè increpaverat, ac repulerat, Epist. VIII. ita scribit: Tu verò, ut tue Littere indicant, procedentem Sacerdotem Sacerdoti, impium, ut ait, atque peccatorem, nescio quo pacto, contra disciplinam ordinem, adstant calcè abiecit, ac repulsi: cum ille quidem verendum (quod oportuit) fateretur, se ad peccatorum remedia querenda venisse; neque exhorruisti insuper, & Sacerdotem optimum lacerare conviciis, miserabilem cum dicens, qui pœnitentem, atque impium iustificasset. En itaque usus auricularis, ac Sacramentalis Confessionis in primordio Ecclesiæ, in primordio Christi nativitate; ut differit Eminens. Card. Baronius Anno ejusdem Redemptoris LVI. Spondanus eodem Anno num. 6. & novissimè Galpar. Ivenin in Comment. Hist. & Dogmat. de Sacramentis Dissert. 6. quest. 5. cap. 1. art. 2. §. 1.

Secundi verò sæculi, ejusdem Confessionis Sacramentalis usus testes sunt S. Ireneus, Tertullianus, ac Minutius Felix, qui eodem sæculo secundo vivebat. S. Ireneus Episcopus, & Martyr, qui S. Policarpum Joannis Apostoli discipulum præceptorum habuit, scribens reversionem ad Ecclesiam quamdam mulierum Rhodanensium, quam Magus nomine Marcus, seduxerat; lib. 1. advers. hereses cap. 9. ait: Hæc seipsum convertit ad Ecclesiam Dei in Exomologesi confitens, plangens, & lamentans ob hanc, quam passa est ab hoc Mago, corruptelam. Per exomologesim autem veteres Patres semper intellexisse Sacramentalem Confessionem probat Eminens. Cardin. Baronius, & ejus compilator Spondanus d. Anno 56. num. 6. & 7. ubi ex eodem S. Ireneus lib. 3. cap. 4. in fin. advertunt, etiam Cerodoneum Hæresiarum hæp exomologesim, idest Confessionem Sacramentalem fecisse; sed ad vomitum pravorum dogmatum esse reversum. Tertullianus fusè explicat, quid esset exomologesi de Pœnitentiæ cap. 8. & 9. describensque ibid. tres Pœnitentiæ partes, dolorem, Confessionem delictorum, ac satisfactionem, ita aperit loquitur de Sacramentali, auricularique Confessione, ut de ea nemo orthodoxe dubitare possit dubitare, teste Panellio, & aliis doctissimis viris ab Eodem Eminentijs. Baronio, & Spondano, ubi proxime allegatis. Sed & in libro de Baptismo cap. 20. Tertullianus demonstrat ejusdem Confessionis usum in illo tempore, dum narrata publica Confessione peccatorum suorum, quam tunc faciebant Catechumeni, subdit: Nobis gratulandum est, si non publicè confiteamur iniquitates, aut suspicandior nostras. Insuper in hanc veritatem Minutius Felix ejusdem Tertulliani contemporaneus, referens calumniam in Christianos confatam à Gentilibus, qui dicebant, ipsos adorare solitos virilia Sacerdotum; quia, ut exponit Emin. Card. Baronius d. Ann. 56. cum illi ad eorum genua procumbentes, suaque illis confitentes peccata, summis veniam deprecarentur, apud Gen-

tilis hæc non intelligentes, ejusmodi nefanda invaluat existimatio.

Terti sæculi testes sunt sequentes circa usum Sacramentalis Confessionis, quos recenset Emin. Baronius, & Spondanus d. Ann. 56. n. 6. & 7. & Ivenin d. art. 2. §. 2. videlicet: Eusebius lib. 5. cap. 27. recitans, Natalium Hæreticum suam exomologesim fecisse Romæ coram Zephyrino Pontifice, qui Petri Cathedram ascenderat Anno 203. eamque fuisse facturum Marcionem, nisi morte præventus impeditus fuisset, ut asserit Tertull. de Prescriptionib. advers. hereticos. Origenes, qui vivebat Anno 226. pluribus in locis suorum operum de Sacramentali Confessione loquitur, quæ referuntur ab Emin. Card. Baronio, Spondano, & Ivenin ubi supra; & præcipue Homil. 2. in Levit. in illis verbis: Est adhuc & septima, licet dura, & laboriosa, per pœnitentiam remissio peccatorum; cum lavat peccator in lacrymis stratum suum, & sunt ei lacrymæ sive panes dicit, ac nocte, & cum non erubescit, Sacerdoti Domini indicare peccatum suum. Et homil. 2. in Palm. 37. Data similitudine evomendum ad liberandum stomachum ab indigestione, ait de peccatore; Si autem ipse sui accusator fiat, dum accusat semetipsum, & confitetur, simul evomit & delictum, atque omnem morbi digerit causam. S. Cyprianus Episcopus, & Martyr, qui floruit Anno 250. frequenter loquitur de peccatorum Confessione; utpotè in libro de lapsis, dum ait: Confiteantur singuli, queso Vos fratres, delictum suum, dum adhuc qui deliquit in seculo est; dum admittitur Confessio potest. Et infra: Apud Sacerdotes Dei dolenter, & simpliciter confitentes, exomologesim conscientie faciunt, animi sui pondus exponunt, &c. Et Epist. 10. Secundum discipline ordinem ad exomologesim veniant, &c. & reliquis pluribus aliis locis, per supracitatos Auctores relictis; Epist. 52. in fine subiungit; Apud inferos confessio non est, nec exomologesim illic fieri potest: qui ex toto corde pœnitentes, & rogaverint, in Ecclesiam debent interim suscipi. Sed hoc idem concludenter probat exemplum S. Fabiani Papæ, qui Pontificatus gessit ab Anno 238. usque ad Annum 252. noluit enim Sanctus Pontifex communionem Ecclesiasticam Philippo Imperatori Christiano impartiri, nisi prius confessus fuisset peccata sua, & inter pœnitentes se collocasset; ut tradit supracitatus Eusebius lib. 6. c. 27. & referunt Emin. Card. Baronius, ac Spondanus ad Annum Christiani 56. n. 7. nec non Illustris. Sarnelius in Basilicographia cap. 18. num. 5. Nec omittendus Lactantius Firmianus, qui in hoc tertio sæculo vixit; ipse enim lib. 4. Institut. cap. 17. comparat Sacramentalem Confessionem Circumcisioni Moisaicæ ob pudorem partis, quæ erat denudanda; subdens: ob hanc causam Deus nudari eam iussit, ut hoc argumento nos admoneret, ne involutum peccus habereamus. idest, ne quod pudendum facinus intra conscientia secreta velemus. Hæc est cordis circumcisio, de qua Propheta loquitur, quam Deus à carne mortali ad animam transfudit, que sola mansura est. Volens enim vitæ, ac salutis nostre pro eterna sua pietate consulere, pœnitentiam nobis in illa circumcisioe proposuit: ut si cor mundaverimus, idest si peccata nostra confessi, satis Deo fecerimus. Referunt etiam à Soto in 4. dist. 18. quest. 1. art. 1. colum. 19.

Quarti sæculi ampliora reddunt testimonia tum Latini, tum Græci SS. Patres, in eo viventes. Horum unus est S. Pacianus Episcopus Barcin. qui in Pærnesi ait: Tertio de his erit sermo, qui confessi bene, aperisque criminibus remedia pœnitentiæ, adusque ipsos Exomologesi administrande aut nesciunt, aut repulant; & subinde invehit contra illos, qui dimidiabant Confessionem, tacentes præ verecundia aliqua peccata. Ergo Sacramentalis, & auricularis confessio eo tempore erat in usu. Idem confirmat S. Hilarius Pictaviens. Episc. qui Comment. in Matthæum de eadem

cata; ac eorum, qui ad Sacramentalem Confessione recurrebant, & redibant, non poterat peccata confessio manifestare. Erat igitur unita Sacramentalis Confessio peccatorum seculo undecimo.

Duodecimi Sæculi intrant duo testes omni exceptione majores. Unus est S. Bernardus Abbas Clavallensis, Vir planè Apostolicus, & non minus gloria miraculorum, quam sapientiæ splendore illustris, qui floruit Anno 1130. & obiit Anno 1153, ætatis suæ sexagesimo sexto. Hic in Sermone ad Milites Templi cap. 12. ita loquitur: Quid de Bethphage dicam, ubi, & Confessionis Sacramentum, & Sacerdotalis ministerii mysterium operatur salutiferam contritionem: verbum verò in ore noxiam tollit confusioem, ne impediatur necessaria Confessio. Non absoluant (Sacerdotes) etiam compunctum, nisi viderint confesum. Alter testis est Petrus Lombardus Episcopus Parisiensis, qui eodem tempore floruit, hoc est Anno 1145. quo Gratianus, & sicut ille collegit Canones, & Canonistarum quasi Magister fuit; sic ille collegit sententias Sacrorum Theologorum, & Magister Sententiarum, ac Theologorum Scholasticorum dici meruit, & composuit quatuor libros Sententiarum, glossas Psalmorum, & Epistoliarum. Porro tantus Auctor in lib. 4. dist. 17. multa scribit de Confessione, quæ illius usum pro sæculo XII. demonstrant; hæc verò tantum observet studiosus: Sicut enim (ait) precepta est nobis interior pœnitentia; ita & oris Confessio, & exterior Satisfactio, si adit facultas. Unde nec verè pœnitens est, qui Confessionis votum non habet.

Decimi tertiæ sæculi non est opus testibus, dum in eo, nimirum anno 1225. habitum est Ecumenicum Concilium Lateranense IV. sub Innocentio Papa III. in quo editus est Canon Omnis utriusque sexus, qui legitur in Decretali lib. 3. tit. 38. de Pœnitent. & Remission. in quo dispositum, & omnibus fidelibus fuit intimatum, quòd omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad Annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata confiteatur fideliter, saltem semel in Anno proprio Sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam pro viribus studeat adimplere.

Nec dicant sectarios aliqui, tunc primùm institutam fuisse ab Ecclesia Romana Confessionem Sacramentalem. Quia cum in dicto Concilio interfuerint Archiepiscopi septuaginta, inter quos Patriarchæ duo, Constantinopolitanus scilicet, ac Hierosolymitanus, pluresque Prælati Ecclesiæ Orientalis, item Episcopi quadringenti, & duodecim, ac etiam Abbates, Prælatique Regulares octingenti, & ultra; ut notat Illustris. Baptaglinus in Hist. Univers. Concilior. Anno 1215. n. 6. quomodo fieri potuit, ut nullo contradicente ederetur ille Canon, si antea tunc sæculis Confessio Sacramentalis, & auricularis intraque Ecclesiæ Latina, & Græca non fuisset instituta, & de Præcepto? Sed circumscriptis tot, & tantis testimoniis, quæ hucusque recensita sunt, clarè constat ante editionem hujus Canonis Confessionem Sacramentalem in usu fuisse ob Bullam ejusdem Innocentii Papæ III. intimationis Cruciatæ ad redimendam Terram Sanctam, incipiens. Ad liberandam, quæ in Bullario est XII. & ultima, concedens Indulgentiam euntibus ad militandum, vel adjuvantibus hoc bellum, contritis tamen, & confessis peccata sua. Ergo ante editionem Canonis Omnis utriusque sexus recepta erat in praxi per totam Ecclesiam Sacramentalis Confessio peccatorum.

Decimi quarti tandem, ac decimiquinti, & sexti tunc sæculorum non egemus testibus; quandoquidem extant plurimi, ique eximii Ecclesiæ Doctores tam Scholastici, quam Canonistæ, qui de Sacramentali, auricularique secreta Confessione peccatorum tractant, ejus usum, ac necessitatem demonstrantes, quales sunt Angelicus Doctor S. Thomas, ac

Seraphicus S. Bonaventura, qui floruerit Anno 1265, & scripserit super 4. Sent. dist. 17. Joannes Duns Scotus Anno 1300. Durandus Anno 1320. Mayron, Liranus, & Paludanus eodem tempore, Joannes Andreas Canonistarum Coriphæus Anno 1330. & Balduus Anno 1390. Antonius de Butrio, & Franciscus Cardinalis Zabarella Patavinus Anno 1410. Nicolaus Abbas Panormitanus, & S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus Anno 1440. & omnis Felino, Sandæo, Cardinali Cajetano, Sylvestro, ac Tabiena Summis Anno 1500. ac aliis multis; confirmatur constans praxis totius Ecclesiæ Catholicæ, ac fidei lium confitendi Sacerdotibus secreta peccata, & ab iisdem absolutionem recipiendi tum per Bullam XVII. Sixti Papæ IV. incipiens. Licet ea. datam die 9. Augusti Anno 1478. in qua damnatus fuit tanquam hæreticus Petrus de Olma Hispanus, qui scriptis impugnaverat eandem Sacramentalem Confessionem; assertens solam cordis contritionem sufficere ad delenda peccata; tum per aliam præcedentem Bullam Martini Papæ V. incipiens. Inter cunctas dies 22. Februarii 1438. per quam anathemam errorem inter cæteros Joannis Wicleff anathematizavit, juxta Decretum Concilii Constantiensis sess. 8. tom. 4. Concilior. pag. 269. tum demum per definitionem Concilii Trid. de Confessione c. 5. & de Pœnit. Sacram. Can. 6. in sess. XIV. quæ habita fuit sub Julio Papa Tertio die 25. Novembr. 1551. ubi statutum fuit, Anathema esse, negare necessitatem Sacramentalis Confessionis, vel dicere, modum secretè confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesiæ Catholica ab initio semper observavit, & observat, alienum esse ab institutione, & mandato Christi, & inventum esse humanum.

DECISIO XVIII.

ARGUMENTUM.

Inquiritur, an in Casu necessitatis, absente Presbytero, licitum sit confiteri peccata coram Laico? Proponuntur Auctoritates, Rationes, & Exempla pro opinione affirmativa. Resolvitur disputatio sub distinctione; ex qua desumuntur responsiones ad argumenta contraria. Docetur, quid esset antiquitus Reconciliatio publica Pœnitentium? Horum quoque gradus demonstrantur; & ostenditur, quo tempore cessaverit usus Pœnitentiæ publicæ, & qua de causa?

SUMMARIUM.

- 1 Alterum significat ad invicem.
- 2 Canones dicentes confiteri posse Laico.
- 3 Glossæ idem asserentes.
- 4 Magister Sententiarum ejusdem opinionis, Declaratus, num. 27.
- 5 Rationes suadentes, Confessionem fieri posse Laico.
- 6 Exempla hoc idem confirmantia. Et num. 30.
- 7 Angli milites peccata sua ad invicem confitentur.
- 8 Diabolus in obfesso, qui manifestabat peccata adstantium.
- 9 Laico confiteri non licet ad habendam absolutionem; sed ad excitandam contritionem; vel habendam consilium, & num. 12.
- 10 Sacerdos qui non est, non potest absolovere à peccatis.
- 11 Lutheri error circa absolutionem à peccatis.
- 12 Laicus audiens Confessionem pœnitentis est in S. Officio Inquisitionis.
- 13 Laico confiteri nullo modo expedire videtur.
- 14 Laicus audiens Confessionem an sit obligatus ad sigillum?
- 15 D. Jacobus cap. 5. ver. 16. declaratur.

17 S. Augu.

- 17 S. Augustinus in cap. 1. de Pœnit. dist. 6. exponitur.
- 18 Confessio coram Laico non est de præcepto: est rependa coram Sacerdote.
- 19 Titulus coloratus non potest pro absolutione datus à Laico.
- 20 S. Augustinus in cap. Sanctum de Consecr. dist. 4. declaratur.
- 21 Reconciliatio publica Pœnitentium quomodo, & à quibus fieret?
- 22 Antiquitas Oratorum Ritualis Romani in commendatione anime.
- 23 Laicus an possit absolovere ab excommunicatione? Cap. Fures. 13. q. 2. declaratur.
- 24 Contritio sola quando sufficit pro recipienda S. Eucharistia.
- 25 Glossæ errantes circa Confessionem peccatorum.
- 26 Differentia inter necessitatem Baptismi, & Confessionis.
- 27 Attritus potest fieri contritus ex Dei auxilio aliisque Confessione.
- 28 Canones Pœnitentiales antiqui.
- 29 Pœnitentium publicè olim gradus quinque.
- 30 Pœnitentiæ publicæ usque ad quem sæculum fuerit in usu?

Sed hic dubitare aliquis posset, an in casu saltem necessitatis, deficiente Sacerdote, licitum sit pœnitentibus confiteri Laico peccata sua? Affirmativa sententia probatur Auctoritate, Ratione, & Exemplis. Siquidem Auctoritates desumuntur.

Primò ex Epistola Divi Jacobi cap. 5. Ver. 16. ubi ait: Confitemini ergo alterutrum peccata vestra. Sed in his verbis nullam mentionem facit de Sacerdote. Ergo confessio fieri potest etiam Laico. Tandem magis, quia alterutrum in jure significat ad invicem; ut in Authentica, collatione prima, titulo secundo, De non eligendo secundò nubes. S. Illud quoque adum. Et Collatione tertia titulo quarto De Mandatis Principum. S. Deinde conveniens est. Et ibi Glossa in Verb. Alterutrum. Igitur si ad invicem est contritum: etiam Laicis fieri potest confessio.

Secundò ex cap. 1. de Pœnitent. dist. 6. ubi S. Augustinus sic scribit: Tanta vix Confessio est, ut si deest Sacerdos, confiteatur proximo. Sæpè enim contingit, quòd pœnitens non potest confiteri coram Sacerdote, quem desideranti nec locus, nec tempus offert. Et ille, cui confitebitur potestatem solvendi non habet, si tamen dignus venia ex desiderio Sacerdotis qui socio confiteatur surpiudinem criminis. Ergo deficiente Sacerdote licitum erit confiteri Laico peccata.

Tertiò ex cap. Sanctum dist. 46. de Consecr. dist. 4. ubi idem S. Augustinus narrans, quòd in periculo naufragii pœnitens quidam dedit Baptismum uni petenti, subdit, quòd statim impedit pœnitens, ne periculose vitam finiret non reconciliatus, petiit ab eo ipso, quem baptizaverat, ut eum reconciliaret, ut factum est. Sed reconciliatio pœnitentis fit per Confessionem criminis. Ergo hæc Laico fieri potest. Concordat S. Cyprianus lib. 3. Epist. 17. in qua præcipit, ut Laicus reconciliat Pœnitentem, si Presbyter non adfit.

Quarto ex cap. Fures 13. q. 2. quod repetitum est in cap. 2. extr. de Furtis. ubi ex Concilio Triburienfisi legitur sanctum: Fures, & latrones si in furando, aut depredando occiderint, visum est, pro eis non orandum. Si comprehensus, aut vulneratus Presbytero, vel Diacono confessus fuerint, Communionem eis non negamus. Itaque si fieri potest confessio etiam Diacono; ergo non Sacerdoti possumus confiteri peccata.

Quintò ex Glossa in Can. Unum Orarium. 3. in Verb. Quia facili. 25. dist. ubi eum textus dicit, quòd peccata venialia facili dimittuntur, Glossa dicit: Quia etiam Laico possumus ea confiteri, quamvis habeatur copia Sacerdotis: sed mortalia non confitebimur, nisi Sacerdoti, dummodo possit haberi ejus

copia; aliis Laico possumus ea confiteri. Huic sententia Glossa in cap. A nobis. 28. extr. de Sent. Excommunic. ubi in Verb. Non poterit, docet, quòd in casu necessitatis extrema Laicus potest absolovere ab excommunicatione Episcopo reservata. Ergo multò magis à peccatis.

Sextò ex Magistro Sententiarum, lib. 4. dist. 17. E Querit: An sufficit confiteri Laico? & ibidem respondet, requirendum esse Sacerdotem: Si tamen defuerit Sacerdos, proximo, vel socio est faciendâ Confessio. Porro præter has auctoritates videntur adesse plures rationes. Nam

Septimò, Pœnitentia est Sacramentum necessitatis sicut est Baptismus. Sed in casu necessitatis quilibet Laicus potest baptizare, cap. in necessitate 21. de Consecr. dist. 4. Concil. Florentin. sub Eugenio IV. in Decreto circa Sacramenta de Ministro Baptismi; Et Concil. Trident. sess. 7. de Baptismo. Can. 4. Ergo etiam Laicus potest audire Confessionem Pœnitentium; imò etiam femina; ut docet Hostiensis in tit. de Pœnit. & Remiss. §. Cui confitentium. Ver. Septimo tempore.

Octavò, Confessio peccatorum instituta est, ut per eam pœnitens erubescat; siquidem erubescencia habet magnam partem remissionis; & fit venia criminis, cap. Quem pœnit. 88. de Pœnitent. dist. 1. Sed pœnitens magis erubescere potest confitendo peccata sua homini Laico, quam Sacerdoti. Ergo tanquam utilis potest Confessio fieri Laico.

Nonò, Confessio ad hoc ordinatur, ut homo erudiat ab homine, & cognoscat gravitatem peccatorum, recipiatque remedia eorumdem. cap. Quidam. 90. de Pœnitent. ead. dist. 1. Sed hæc omnia possunt non rarò melius exequi homines Laici, & in Lege Dei optimè instructi, quam rudes Sacerdotes. Ergo.

Decimò, Potest evenire casus mortis, in quo pœnitens sit tantum attritus, & nesciat elicere actum contritionis, adeò ut indigeat Confessione, ut ex attrito fiat contritus. Sed talis non fieret, deficiente Sacerdote, si non posset Laico confiteri. Ergo ne pereret, & ne damnationem incurrat æternam poterit Laico confiteri. Hæc, & aliæ rationes considerantur pro hac opinione affirmativa à S. Thoma in Supplem. 3. part. qu. 8. art. 1. à S. Bonavent. in 4. Sent. dist. 17. art. 1. quest. 1. à Gregorio de Valentia tom. 4. disp. 7. qu. 10. punct. 1. à Suarez in 3. part. D. Thoma tom. 4. disp. 24. sect. 1. num. 7. ab Eminentiss. Cardin. de Lugo de Sacram. Pœnitent. disp. 18. num. 6. novissimè ab Eminentiss. Cardin. de Lauræa, eod. tract. disp. 19. art. 1. & 2. Quibus rationibus adduntur sequentia exempla; videlicet:

Undecimò: Ernestus Alemanniæ Dux, Laipol-dii filius, Anno 1015. mortaliter vulneratus sagitta, 6 casu emissa inter venandum, supremumque vitæ diem è lethali vulnere sibi instare præsentiens, Laico homini, Sacerdote deficiente, peccata sua confiteri voluit, ut è Ditmari Chronic. lib. 7. refert Eminentiss. Cardin. Baronius, & cum eo Spondanus ad d. Annum 1015. n. 4. nec non Paulus Aringius in Triumpho Pœnitent. lib. 3. cap. 4. num. 12.

Duodecimò: Narrat Aeneas Sylvius (postea Romanus Pontifex nominatus Pius II.) quòd Henricus 7. V. Angliæ Rex Anno Christi 1415. ingressus cum exercitu Galliam, captis aliquot locis, Gallique prælio victis; at non multo post ab iisdem undique cinctus pollicetur, se, si cum exercitu incolum dimittatur, restitutum loca, quæ de iis ceperat. Negantibus Gallis, nocta (ita enim impetra verat inducias) vocatis ducibus, neque fugere, inquit, commilitones, neque pacem ex hostibus consequi possumus. Sola nos arma terri possunt. Non est, cur tantum exercitum formidatis. Justam causam justus Deus adjuvabit. Ite (notet Lector) & alter alteri vestra peccata confitemini, pupillamque terre ob memoriam Sacramenti Eucharistiæ Salvatoris alter alteri porri-

alteri porrigit; crastina die liberabit nos Dominus ex manibus inimicorum. Sic dimissa concione, peccatis quæ iusserat, curare milites corpora præcipit. Orto die commissum esse prælium; ceciderunt Gallorum millia quatuor, genere illustri, omnes captivos Henricus in Angliam duxit. Ita Æneas Sylvius, relatus à Nauclero in sua Chronolog. ad Annum Salvatoris 1415, quem repetit Gobat in Theologia Expositiv. tract. 7. num. 1. ubi ait, observandos supra dictos milites Confessarios sanè mirificos, sagatos, non rogatos, conjugatos, non celibes; magnam partem vel Alphabetarios duntaxat, vel etiam Alphabetos; omnes sine Sacerdotali non solum corona, sed etiam charactere.

Tertiodecimò: Refert Joannes Jonvillius in Histor. Gallica, quòd exercitu S. Ludovici Francorum Regis à Saracenis profligato, & illis in navim stricto ente ingressis, milites Christianos ad invicem sua peccata confessos fuisse; ut latius inveniri in Histor. Dogmat. de Sacramento Dissert. cap. 4. art. 2.

Quartodecimò: Non injunctum est aliud exemplum, quod ex lib. 3. cap. 2. Historiar. Memorab. Cesaris Hesperibachensis, Ordinis Cisterciensis ponit Henricus S. Germanus in suo Magno speculo Exemplorum dist. 6. Eneapl. 17. scilicet de quodam milite, suspectum habente amicum suum de adulterio cum propria uxore; qui ad se certificandum duxit illum ad Ecclesiam, in qua erat obfessus, cujus damnationem improperat adstantibus peccata, de quibus non essent confessi. Adulter ingressurus Ecclesiam cum milite, timens se à demonio accusari de adulterio; simulavit necessitatem naturæ, & intravit vicinum stabulum tamquam ventrem exoneraturus; at pedibus cujusdam Laici ibi existentis prostratus, confessus esse coram eo peccatum suum; orans, ut sibi injungeret pœnitentiam. Quo facto exivit, & cum milite eum foras expectante introivit Ecclesiam; & eodem milite interrogante, ac provocante demonium, ut diceret quidquid sciret de amico suo ibi adstante; respondit latino Sermone: Nihil scio; in stabulo justificatus est; unde deducitur, proficuum sibi fuisse Confessionem coram Laico in stabulo factam.

His tamen non obstantibus contrarium est omnino tenendum; ideoque pro resolutione quæsit oportet distinguere circa finem, ob quem aliquis faceret suam Confessionem Laico; nam vel ita confiteretur ad obtinendam absolutionem suorum peccatorum ab eodem Laico; vel tantummodo ad excitandam cordis contritionem per illam verecundiam, ac erubescientiam confitendo peccata sua Laico; sive etiam tantummodo ad recipiendum consilium, vel auxilium ad deserenda illa peccata. Primo modo nunquam licitum fuit, neque esse potest confiteri peccata Laico; ea ratione, quia absolutio Sacramentalis à peccatis pendet à clavibus Ecclesiæ, quas habere non possunt Laici, cum illas Dominus contulerit tantum Sacerdotibus, quales erant Apostoli, dum eis dixit Jo. 20. 23. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c. & post Apostolos illis, qui ab Episcopis Apostolorum successores ordinantur Sacerdotes; & sic qui non habet ordinem Sacerdotalem non potest absolvere à peccatis. cap. Sacerdos. cap. Placuit. De Pœnit. dist. 6. Glossa in cap. Paschalis 11. §. Præterea. Verb. Præterquam in mortis articulo. Et ibidem Barbosa in Collect. DD. num. 17. De Offic. Ordin. alia Glossa in cap. 2. in Verb. ligare. De Pœnit. & Remiss. in 6. & ex Canonistis Navarrus in cap. 1. de Pœnit. dist. 6. à n. 74. & seqq. & est sententia Theologorum tum veterum, tum modernorum; ut videre est apud S. Thomam, & Scotum in 4. Sent. dist. 17. & alios, quos citat, & sequitur Emin. Cardin. de Lugo de Pœnitentiæ Sacram. dist. 18. n. 1. P. Macedo de Clavibus Petri lib. 4. cap. 5. Maffrius in 4. Sent. dist. 5. n. 509. & Emin. Card. de Lauræa cod. tractatu

de Pœnit. dist. 19. art. 1. & 2. Idcirco si quis confiteretur Laico peccata sua, ut ab illo reciperet absolutionem, incideret in heresim Lutheranam; docebat enim Lutherus, quòd in Sacramento Pœnitentiæ, ac remissione culpe, non plus facit Papa, aut Episcopus, quam infimus Sacerdos: imò ubi non est Sacerdos, æquè tantum quilibet Christianus, etiamsi mulier, aut puer esset; ut legitur in Bulla 40. Leonis Papæ Decimi, in qua damnantur errores ejusdem Lutheri §. 1. n. 13. & notat Salettes de S. Inquisit. lib. 3. cap. 18. regul. 288. num. 100. & eundem errorem confutavit Sac. Tridentinum Concilium sess. 14. cap. 6. in illis verbis: Declarat Sancta Synodus falsas esse, & à veritate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes, que ad alios quosvis homines, præter Episcopos, & Sacerdotes clavium ministerium perniciosè extendunt, putantes verba illa Domini: Quorum remiseritis &c. ad omnes Christi fideles indifferenter, & promiscuè contra institutionem hujus Sacramenti ita fuisse dicta, ut quivis potestatem habeat remittendi peccata: ac proinde ead. sess. 14. Can. 10. Anathema esse voluit, qui assereret, non solos Sacerdotes, sed omnes Christianos esse ministros absolutionis.

Imò si quis non promotus ad Sacrum Presbyteratus ordinem audiret Confessiones, & præstaret absolviere penitentes à peccatis, esset puniendus tamquam hæreticus in Officio Sanctæ Inquisitionis per Bullam 21. Gregorii XIII. & si quos haberet ordines, ab iisdem rite degradatus, tradendus esse Curie seculari debitæ pœnis plectendus per Bullam 81. Clementis VIII. de qua meminit Quaranta in Verb. Ordo. Barbosa in Collect. DD. in cap. fin. n. 2. De Clerico non ordin. ministr. & Julius Chartarius in Decif. Criminalib. decif. 13. n. 3. & 9. latè Lezana in Consult. Variis cons. 21. n. 35. ubi Criminalistas cumulat. Quòd si Laicus prædictus tamquam Sacerdos proferret absolutionis formam super penitente consistente coram eo peccata sua, feret irregularis. Emin. Card. de Lugo d. dist. 18. num. 14. Thefaurus de pœnit. part. 2. Verb. Absolutio cap. 1. ubi reddit rationem, quia hæc facere præsumptus reddunt vehementer suspecti de hæresi.

Quòd si quis vellet confiteri Laico, tantummodo ad contritionem cordis excitandam, vel ad habendum consilium, seu auxilium in casu necessitatis, vel in periculo mortis, absente Sacerdote; id fieri potest concedunt Scholasticæ auctoritates ob verecundiam, quam patitur penitens in illa Confessione, & per quam solvit aliquam partem pœnæ debite pro peccato, ut ajunt S. Thomas in Suppl. 3. p. q. 8. art. 2. & in 4. Sent. dist. 17. q. 3. art. 4. S. Bonaventura in ead. dist. 17. art. 1. q. 1. ubi allegat S. Bernardum super Canticum dicentem: Vir perfectus tantus est veritatis amator, quòd velle, omnes nosse sua mala; dum tamen eis non esset occasio mali, sed boni. Et Durandus in eadem 4. Sentent. dist. 17. q. 11. At moderni tum Theologi, tum Canonistæ negant, hæc temporibus licitum esse confiteri Laico, quamvis in periculo vitæ, absente Sacerdote; tum quia parum prodest talis Confessio, quæ non habet vim faciendi de attrito contritum, ut bene observat Sotus in 4. d. dist. 18. quest. 4. art. 1. §. ceterum, tum etiam quia multum nocere potest, si illam audiens sit garrulus, nesciusve servandi secretum, ac tenendis peccata audita sub sigillo, quæ eorum publicatione plura pericula insurgere possunt, & famæ, & vitæ. Gregorius de Valentia tom. 4. disp. 7. quest. 10. punct. 1. Verb. Quamvis. Et Reginaldus in Praxi Fori Pœnitent. lib. 1. num. 8. ubi ita scribit: Tertia propositio est, non esse licitum, nec salutare consilium confiteri non Sacerdoti, ne quidem in articulo mortis, nisi in sit persona prudens, secretique tenax, & que profutura sit, nec obfutura. Hujus priorum partem Navarrus in cap. 1. de Pœnit. dist. 6. à num. 79. probat; quia non magis licet detrahere sibi, quàm detrahere alteri,

alteri, quòd summa iniquitas est. cap. Summa iniquitas. 6. q. 1. licet non licet magis vitans suam, quàm alienam in discrimen vocare, de confiteri tali Laico, qui non prodest, aut non esset servaturus secretum, nihil aliud est, quàm sibi detrahere. Concordant novissimè Gobat d. tract. 7. num. 19. & Jo: Sancius in Select. disp. 46. num. 22.

Hinc disputant Moralistæ an talis Laicus, qui audiret Confessionem alicujus penitentis in casu necessitatis, esset obligatus ad sigillum? Et quamvis plures teneant negativam opinionem, quos refert Diana part. 5. tract. 11. resol. 14. & part. 11. tract. 11. resol. 13. quæ repositæ sunt in Opere Coordinato tom. 1. tract. 8. resol. 34. & 35. probabilior tamen est opinio affirmativa, quam amplectitur ibidem ipse dudum fuit, & in venerationem Sacramenti, & in favorem penitentium; favores autem sunt ampliandi, itaut non solum intelligatur de Confessione Sacramentali, sed etiam de illa, quæ fit ad modum Sacramentalis Confessionis. Notat tamen ipse Diana ibidem, quòd quatenus etiam negativa opinio amplecteretur, & Laicus prædictus non esset obligatus ad sigillum Sacramentale; nihilominus teneatur maximo secreto naturali, quòd nulla de causa debet infringere, sed potius mortem subire; neque Judex postest adstringere eundem Laicum, ut judicialiter manifestet, quòd à dicto penitente audivit; non pertinet ad forum externum alicujus Judicis, quò nulla inquisitio, seu probatio desumi potest. O. Et nos infra Decif. 49.

Superest, ut contrariis auctoritatibus, rationibus, & exemplis supra allegatis respondeamus. Quare Ad primum circa illa verba D. Jacobi cap. 5. Vers. 16. Confitemini alterutrum peccata vestra, plures dantur interpretationes à Scholasticis, & Scripturistis, quæ stolum intellexisse de Confessione mortalium peccatorum faciendâ Sacerdotibus. Idcirco S. Thomas in Suppl. 3. part. quest. 8. art. 1. ita respondet: Ad primum ergo dicendum, quòd Jacobus loquitur ex præsuppositione divine institutioni; & quia divinitus instituta, per hoc quòd eis potestatem remittendi peccata in Apofstolis dedit, ut patet Joan. 20. itò intelligendum est, quòd Jacobus Sacerdotibus Confessionem esse faciendam monuit. S. Bonaventura in 4. dist. 17. art. 1. quest. 1. in resolutione ait, aliam esse Confessionem generalem, quæ fit, dum dicitur Confiteor peccata. Prima fit omnibus ad invicem eam repetentibus. Secunda solis Sacerdotibus audientibus. ita respondet: Verba illa (Confitemini alterutrum, ut non omnibus, sed ministris idoneis; voluit enim iis fessio peccatorum dicere, quòd non sufficit homini Confessio facta hominibus, sed est necessaria Confessio facta Deo: sed est necessaria Confessio facta Deo, illis scilicet, quibus à Domino scriptis peccata. Et ita Alexius 4. p. q. 19. art. 1. Tertius vero in Commentario Epistolæ ejusdem Sancti Jacobi cap. 5. Vers. 16. verba illa ita explanat: Non soli Deo, sed quidam suadent, sed & alterutrum confitemini peccata vestra, nempe homines hominibus vestri similibus, puta illis, quibus tamquam propriis ministris cura, & potestas absolvendi demandata est à Christo, nempe Sacerdotibus; juxta illud 1. Petr. 4. Unusquisque sicut accepit gratiam, alterutrum illam curare invicem; sustentare invicem, sacrificare pro invicem; nimirum doctores doctore rudiores, medicum

rate egros, divites sustentare pauperes, Sacerdotes sacrificare pro Laicis. Similia enim verba exponi debent appositè ad subjunctum materiam, gratiam, & officium cuiusque. Ita exponit locum hunc Concilium Senonense Decret. 10. Beda, Bernardus, Hugo Vigorinus, Alcuinus, & alii apud Henricum Ganisium tom. 1. antiquar. lect. Turrianum in lib. 2. Constituta & Serarium.

Ad secundum respondet Magrius in Hierolex. Verb. Confessio Sacramentalis. col. 2. ita dicens: Eximio textum Augustini adulteratum fuisse, nam ex eodem Doctore de Pœnit. dist. 1. cap. 44. contrarium constare videtur, ubi inquit, Ergo sine causa dictum est: Quæ solveris in terra, soluta erunt in Cælo. Ergo sine causa claves date sunt Ecclesiæ Dei. Frustramus Evangelium Dei, frustramus verbum Christi, si promittimus, quòd ille negat. Igitur Confessio, & satisfactio à peccatis mandantur, sed Confessio Sacerdoti, & non Laico faciendâ est. De Pœnit. dist. 1. Can. 36. Insuper D. Augustinus non poterat contra D. Ambrosii ejus magistri documenta in veris tanti momenti asserere; ajebat siquidem ille, Jus hoc solis permixtum est Sacerdotibus, de Pœnit. dist. 1. Can. 51. Cæterùm, est, quòd verba illa contenta in cap. 1. de Pœnit. dist. 6. sint Divi Augustini, quæ etiam leguntur in cap. Quem pœnitent. 44. de Pœnitent. dist. 1. dicendum est, ibi Sanctum Doctorem intellexisse de Confessione faciendâ Laico, non ad obtinendam ab eodem absolutionem Sacramentalem; sed ad magis excitandam cordis contritionem, & ut ipsa humilitate, atque erubescencia Confessionis commoveatur, flucteturque magis Dei misericordia erga peccatorem; eoque certius criminum remissio, non per Laici aliquod ministerium, seu opus, sed ab ipso Deo solo impetretur; ut bene observat ex Theologis Gregor. de Valentia d. tom. 4. disp. 7. q. 10. punct. prim. Vers. Altero modo, & ex Canonistis Navarrus in Comment. ad d. cap. 1. de Pœnit. dist. 6. ubi duo notabilia dicit: unum num. 75. quòd talis confessio faciendâ Laico in casu necessitatis, absente Sacerdote, nunquam fuit, aut esse potest de Præcepto, sed tantùm de consilio: alterum num. 83. Quòd si facta fuerit Laico talis Confessio, nihilominus, si superveniat Sacerdos, eidem iterum ipsam Confessio est faciendâ; & ab illo absolutio Sacramentalis ministranda; quòd novissimè repetit Biffus in Hierurgia Sacra. Verb. Minister Sacramentorum. §. 25. subdens §. 16. adeò esse verum, quòd Laicus, & qui non habet ordinem Sacerdotalem non potest absolviere à peccatis, ut neque possit suppleri ab Ecclesia ratione tituli colorati; itaut si ille, qui audivit Confessionem, & absolvit, censeatur Sacerdos per communem errorem, & non sit talis, nunquam valida sit absolutio, quia Confessarius debet esse Sacerdos de jure Divino. Quintanaduen. tom. 1. tract. 1. singul. 11. num. 4. & sic error communis, aut titulus coloratus nihil proficeret pro validitate absolutionis Sacramentalis.

Ad Tertium pariter respondetur, procedere de reconciliatione per humilem Confessionem penitentis, non per absolutionem Sacramentalem à Laicis impertitam. Siquidem quo ad cap. Sanctum de Consecr. d. 4. sic punctualiter respondet Bonaccia tom. 3. De Censuris in Bulla Cane disp. 1. q. 22. punct. 2. n. 10. Neque oblat cap. Sanctum. dist. 4. de Consecr. Respondetur enim primò ibi referri factum, non tamen approbari. Secundò ibi sermonem esse de reconciliatione à Pœnitentiâ publica, non vero de absolutione, juxta glossam ibidem. V. Pœnitentiâ. Quo verò ad Epistolam 17. D. Cypriani precipientem, ut in articulo mortis Laicus reconciliet penitentem, si Presbyter non adsit; respondet Emin. Card. de Lauræa de Pœnitentiâ d. dist. 19. num. 19. eam intelligi de reconciliatione publica pro communionem cum fidelibus, ne talis moreretur ex-
commu-

communicatus, non autem de reconciliatione per ab-
 solutionem peccatis. Quem sensum amplectitur etiam
 Albaspina in notis ad Nicenam Synodum, ut refert
 Magrius Verb. Viaticum in princ. & nos diximus su-
 pra Decif. XVI. num. 23. Itaque tempore S. Cy-
 priani permissum erat ab Ecclesia, ut Laici in casu
 mortis, deficiente Presbytero, reconciliarent pub-
 licos penitentes, recipiendo illos in communionem
 fidelium; quæ reconciliatio fieri solebat solemniter
 à Presbyteris, & ab Episcopis in feria quinta Cœ-
 næ Domini per recitationem multarum precum, &
 orationum, quæ leguntur in Codice Sacramentorum
 Romanæ Ecclesiæ, nongentis annis vetustiore, (nu-
 per impresso Romæ in Typographia Angeli Bern-
 nado Ann. 1680.) lib. 1. tit. 38. in Quinta feria
 hebdomada maioris, ubi inter reliquas orationes ex-
 tat illa, quæ incipit, Deus misericors, Deus ele-
 mens, qui secundum multitudinem miserationum tua-
 rum peccata penitentium des, &c. nempe eadem
 illa, quæ legitur in Rituali Romano sub Ordine
 Commendationis animæ, secunda post Litanias bre-
 ves: undè discant Curati animarum venerationem,
 & devotionem debitam ipsi precibus, & orationi-
 bus ob eorum antiquitatem, cum essent usitæ ab
 Ecclesia ante nongentos ab hinc annos. Sed mirum
 fit, quòd antiquitus in casu necessitatis Laici
 reconciliarent publicos penitentes, quia probabilis
 est opinio Doctorum, (quos cumulat Sayrus in The-
 sauro Caf. conscientie lib. 2. cap. 21. num. 3. &
 Bonacina tom. 1. de Conjur. in Com. disp. 1. q. 3.
 punct. 3. num. 1.) quòd Laicus possit absolvere mor-
 ribundum ab excommunicatione, absente Sacerdote,
 quòd docent Sylvelter Verb. Absolutio 1. num. 8.
 & S. Antonius 3. p. tit. 17. cap. 4. Casu 7.
 & alii, à quibus non dissentit Sanchez in Decalog.
 lib. 2. cap. 13. num. 13. in fine, & Volpi in Re-
 sol. Moralib. Verb. Censura, resol. 22. num. 14.
 Ad Quartum ex cap. Fares 13. q. 2. duas dat
 responsiones idem Eminentiss. Card. de Lauræa d.
 disp. 19. num. 15. & 16. Una est, quòd in illo
 textu intelligitur communicatio cum fidelibus, idest
 absolutio ab excommunicatione, quæ dari poterat à
 Diacono in articulo mortis, ut dictum est supra de
 Laico. Altera est, quòd intelligendum etiam de Com-
 munionem Eucharisticam, sensus sit, si vulneratus mor-
 ribundus Presbytero, vel Diacono constitatur, idest,
 ostendat, se velle confiteri, si possit, vel minister adse-
 set, Eucharistiam posse accipere; quam Diaconus
 poterat ministrare, certificatus de contritione eorum-
 dem surum vulneratorum; nam, ut scripsimus in
 25 Decifionibus de Eucharistia Decif. LI. num. 7. ad
 recipiendam Eucharistiam sufficit contritio in tri-
 bus casibus; Primus est in casu mortis, si Sacerdos
 haberi non possit, cui moribundus confiteatur; Se-
 cundus est, si Sacerdos teneatur celebrare, & non
 possit abstinere absque scandalo; Tertius est, si quis
 non communicando incurreret infamiam, grave
 detrimentum, & desereret Confessarius, juxta do-
 ctinam Tamburini de Expedi. Commun. cap. 1. §. 6.
 & §. 10. ubi DD. & Eminentiss. Card. de Lauræa.
 De Eucharistia disp. 25. num. 158.
 Ad Quintum respondetur, non esse credendum di-
 cto illius glossæ, quæ sæpe sæpius ponit multos er-
 rores præcipue circa Confessionem Sacramentalem,
 qualis est iste, quòd possint Laici absolvere; & quòd
 confessio non obliget Græcos, ut ipsa glossa ait in
 26 cap. 1. de Pœnit. disp. 5. & quòd Confessarius non
 absolvat, sed declaret absolutum, ut in cap. Quod-
 cumque 24. q. 1. de quibus, & aliis erroribus ad-
 vertit Magrius in Hierolexic. d. Verb. Confessio Sa-
 cramentalis. Et Barbosa in d. cap. Quodcumque
 num. 13. Veritas enim est, (ut explicatum est su-
 pra.) quòd Confessio non potest fieri Laico, ut
 absolvat, sed ut coadjuret contritionem ob erube-
 scientiam.

Ad Sextum, dicendum est, quòd in hoc eodem
 sensu sit locutus Magister Sententiarum; & ita fit 27
 intelligendum, ut notant ibidem omnes Scholastici
 ipsius expositores.
 Ad Septimum respondetur, magnam esse dispari-
 tatem inter necessitatem Baptismi, & necessitatem
 Confessionis Sacramentalis. Baptismus est absolute 28
 necessarius parvulis, qui in casu mortis non possunt
 elicere votum illum suscipiendi, ut salventur; idèd
 Christus concessit, ut omnes possint baptizari in casu
 necessitatis, sive Laicus, sive Femina, defici-
 entibus Presbyteris. At Confessio Sacramentalis
 non est absolute necessaria, quia in defectu Sacer-
 dotum penitentes possunt salvari per actum contri-
 tionis, cum voto confitendi coram Sacerdote, si
 ejus copiam habuerint; ut bene differit Emin. Car-
 din. de Lauræa de Pœnitent. d. disp. 19. n. 8. Di-
 ctum autem Hostiensium est satis insulsum, nisi con-
 duntur ob magnam prudentiam, & sanctitatem ali-
 cujus mulieris, coram qua quis se accusaret de pro-
 priis peccatis ad excitandam contritionem, sed nun-
 quam, aut rarissime.
 Ad Octavum satis est responsum ex supradictis,
 quia erubescencia illa bona est; at eam debet com-
 mitari prudens circumspèctio, ne ex manifestatio-
 ne oculorum criminum coram Laico scandala exoriantur;
 itaut magis expedit, ut penitens erubescat
 coram Deo, & se conterat in corde suo cum
 voto confitendi Sacerdoti, si ejus copiam haberet.
 Ad Nonum, non impugnat Confessio facta Lai-
 co prudenti, ut ab eo penitens erudiatur; potest
 enim aliquando esse utilis ob hunc finem; sed non
 ut absolvat, quia Laici nunquam absolvere possunt
 à peccatis.
 Ad Decimum respondet antedictus Emin. Card. 29
 de Lauræa d. 19. num. 18. quòd penitens solum
 attritus dici non potest sine remedio, quia ex Dei
 auxilio semper parato aptus est conteri in corde
 suo, scilicet odio habere peccata sua, & ea detestari,
 quatenus sunt offensiva Dei, & sic salvari cum
 voto confitendi Sacerdoti, si possit.
 Ad exemplum successivè relata respondetur, ea esse
 admiranda, non imitanda, si ad effectum obri-
 nendi absolutionem Sacramentalem illæ Confessio-
 nes factæ fuerint. Jam ostendimus, laicos non posse
 absolvere à peccatis, eum sint incapaces clavium
 Ecclesiæ, quas Christus dedit Sacerdotibus tantum;
 idcirco Laici, de quibus in antedictis exemplis, si
 absolvere tentassent, peccatum mortale commississent,
 nisi eos ignorancia, vel bona fides excusasset,
 ut ait Gobat d. tract. 7. num. 21. Cæterum ab his
 exemplis colligere debemus, quanta sit differentia
 nostrorum temporum cum antiquis circa penitentiam,
 & dolorem de peccatis. Tunc enim, qui non poterant
 habere Sacerdotem, cui confiterentur culpas suas,
 eas etiam Laicis cum dolore cordis manifestabant;
 nunc autem, o quanti! non unum, sed plura lustra
 sinunt decurrere absque Sacramentali Confessione.
 Ulterius in præteritis sæculis rigorosæ penitentia; im-
 ponebantur pro peccatis; nam, ut legitur in canonibus
 pœnitentialibus, (qui leguntur apud Gratianum post
 tertiam part. Decret. & apud Reginald. lib. 7. n. 54.)
 pro culpis carnalibus, septem annis penitere oportebat,
 pluries in hebdomada jejunando in pane, & aqua,
 induendo cilicium, & alias austeritates amplectendo,
 de quibus in cap. Prædicandum 22. q. 1. & cap. Hoc ipsum 33. q. 1. quæ agebantur nimis
 pro peccatis contra naturam cap. Hoc ipsum 32. q. 2. cap. Clerici de Excessu. Prælator. Idem præcti-
 cabatur pro perjurio, & pro homicidio, cap. Quicumque
 6. q. 1. cap. Miror. 50. dist. Et multo magis pro
 blasphemia. cap. Statuimus. De maledictis; imò pro
 fraudibus in pondere, vel mensura. cap. Ut mensura-
 re. De Contrahend. Empt. Nunc autem pro prædictis
 enormitatibus quid injungant Confessarii peni-
 tentibus

tentibus nesciunt, adeò detrectat quilibet assumere
 pœnitentiam; & vix bini, vel terni Rosarii recitatio
 committitur, quam etiam multi negligunt adimplere.
 Sed & illud notabile, ne deplorabile dicam, quòd
 antiquitus pro supradictis peccatis publicis, idest pub-
 lically, ac scandalose commissis, opus erat assumere
 penitentiam publicam, vel solemnem, septem sal-
 tem annis duraturam; & quinque erant gradus publi-
 cæ penitentiam, nunc autem omnino recessit ab aula
 usus publicæ penitentia; Hi erant prædicti gradus,
 ut refert Magrius in Hierolex. Verb. Hyemantes. Pri-
 mus hyemantium, seu lentium, ac lentium, qui cil-
 licio induti, & extra januam Ecclesiæ prostrati la-
 crymis implorabant veniam de commissis scandalis à
 fidelibus Ecclesiæ intrantibus. Secundus erat Audien-
 tium, eorum scilicet, qui commorati multo tempo-
 re inter hyemantes permittebantur ingredi januam Ec-
 clesiæ, stare in Narthex, idest statim intra januam
 cum Catechumenis, & ibi audire Verbum Dei, &
 Missam usque ad consecrationem, à qua expelleban-
 tur. Tertius erat Substradorum, qui vocabantur ante
 consecrationem coram Episcopo, vel Presbytero cele-
 brante, & coram eo prostrati recipiebant manum
 impositionem prævis orationibus ad implorandam
 super eis Divinam miserationem. Quartus erat Consi-
 stentium, eorum videlicet, qui assumpti ex prædictis
 gradibus consistebant in Ecclesia ad totam Missam;
 sed non admittentur ad oblationem, neque ad
 communionem Eucharistia; Quintus tandem gradus
 erat Participantium, & hi erant, qui completa pe-
 nitentia pro tempore usque à jure statutum, & recepta
 reconciliatione, ac Sacramentali abolitione, ad
 Sacram Synaxim admittentur. Ecce, quanto
 sudore, pavore, humilitione, & mortificatione olim
 opus erat pro obtinenda remissione culpæ publicæ
 ac scandalosæ commissarum. Hæc publicæ peniten-
 tiæ vigerunt duodecim integris sæculis, ut ex Ca-
 bassuto de Notis. Eccl. dissert. 8. in fine refert Illustris-
 simus Episcopus Sarnelius Epistolæ. Ecclesiasticæ. tom. 2.
 Epist. 9. & ab eo tempore commutari cœperant in
 expeditiones adversus infideles, pro recuperatione
 Terræ Sanctæ, ut legitur in Concilio Claramontensi
 Terzæ, habito sub Urbano Papa II. Anno 1095. de quo
 ibidem Eminentiss. Card. Baronius, ac Spondanus,
 & in quo legitur secundus Canon conceptus his ver-
 bi: Quicumque pro sola devotione, non pro honoris,
 vel pecunie adæptione ad liberandum Ecclesiam Dei
 Jerusalem profectus fuerit, iter illud pro omni pœni-
 tentia reputetur. Hac nostra ætate non est qui cogi-
 terit amplius de recuperatione Terræ Sanctæ, quam
 pacificè Turcæ retinet, & nullus est, qui verè ex-
 periat in seipso, quod de Sancta Paula Romana
 scripsit S. Hieronymus, teste Stephano Menochio
 Hist. Miscell. part. 3. §. 287. Affigendum corpus,
 quod multis vacavit deliciis. Longus visus perpeti serui
 componens. In hac Civitate Patavina usus publi-
 carum Pœnitentiarum floruit per totum Sæculum XIII.
 ut constat ex libro vetusto existente in Archivio Re-
 verendissimi Capituli Ecclesiæ Cathedralis, inscrip-
 to, Ordo Divinorum Officiorum, &c. in quo tum in
 feria 4. Cinerum, tum in feria 5. Cœnæ Domini
 agitur de modo reconciliandi publicos Penitentes.
 Utinam etiam hodie qui scandalosam vitam agunt,
 hunc saluberrimum usum spererent, & intelligerent, ac
 novissima providerent, ut legitur in Cantico Moysis
 Deuter. 32. 43.

DECISIO XIX. ARGUMENTUM.

Præmissa erudita declaratione tum Clavium mate-
 rialium ex auro, ex argento, & ex ferro; tum
 Naturalium, Industrialium, & Spiritualium, ex
 metaphora sic appellatarum, disputatur de CLA-

VIBUS ECCLESIAE datis à CHRISTO, tam
 pro foro externo, quàm pro foro interno. Oten-
 ditur, Claves fori externi esse duas, Scien-
 tiæ scilicet, & Jurisdictionis. Utramque fuisse
 in D. Petro, & in Apostolis, & nunc esse
 in Papa, & in Episcopis. In Papa cum præ-
 rogativa Infallibilitatis, & absque ulla restrictio-
 ne locorum, vel personarum, ob ejus Prima-
 tum. In Episcopis cum dependentia à Papa, à
 quo illas recipiunt pro suis Diocesisbus tantum;
 prout etiam Cardinales, Abbates, ac Prælati
 Regulares pro suis solum subditis non etiam Ab-
 batibus. Declarantur duæ Claves fori interni,
 Scientiæ, & Potentiæ. Quomodo hæc transeant
 in simplices Sacerdotes? & Triplex earum-
 dem Clavium effectus. Quæ omnia Juribus,
 Historiis, & Auctoritatibus DD. plenè compro-
 bantur.

SUMMARIUM.

- 1 Clavis quid sit, & unde dicta?
- 2 Clavis quis esset?
- 3 Clavium quis auctor? earum usus antiquissimus.
- 4 Claves alie materiales, alie metaphoricæ.
- 5 Claves aureæ de corpore B. Petri Junptæ; Regibus donantur.
- 6 Claves argenteæ pro custodiendis rebus Sacris; & præcipue Sanctissimæ Eucharistia.
- 7 Clavis ferrea S. Petri Lauretana miraculosa: ac S. Bellini Episcopi Patavini.
- 8 Maniales S. Petri de Padua laudatæ.
- 9 Claves metaphoricæ quæ, & quot sint?
- 10 Claves nature ordo, quæ sunt in manu solius Dei.
- 11 Claves industriales duæ, alie muscales, alie fabriles. Et quæ, & quot sint?
- 12 Claves spirituales quæ, & quot sint? quibus aperitur serena Divina Misericordia.
- 13 Claves Ecclesiasticæ datæ à Christo quæ, & quot sint? Et cur sic dictæ?
- 14 Claves Dei, Christi, Ecclesie quomodo inter se differant?
- 15 Claves Ecclesiæ alie sunt pro foro externo, alie pro foro interno. Probatio, quòd datæ sint claves pro foro externo.
- 16 Claves fori interni esse in Ecclesia, probatio.
- 17 Claves fori externi quæ, & quot sint? Et quibus sint concessæ?
- 18 Episcopus qui est eligendus, debet esse Doctor, & iterum examinatur coram Papa.
- 19 Clavis scientiæ fuit cum infallibilitate in Petro, & Apostolis, & est in Romanis Pontificibus, non autem in aliis Episcopis; & cur?
- 20 Concilia Generalia, absente Papa, non habent infallibilitatem in definiendo. Eam habent, Papa presente, vel confirmante ipsa Concilia.
- 21 Heretici negant infallibilitatem in Papa. Exempla sed vindicata.
- 22 Clavis Jurisdictionis pro foro externo quid sit? & Quotplex.
- 23 Clavis Jurisdictionis data est à Christo tum Petro, tum Papa cum duabus ampliationibus, & quæ hæc sint?
- 24 Clavis Jurisdictionis data est Apostolis à Christo cum duabus limitationibus. Quæ sint?
- 25 Apostoli non erant exempti à Jurisdictione Petri, sed erant subditi Petro.
- 26 Episcopi recipiunt clavem Jurisdictionis à Papa cum duabus conditionibus. Et quæ sint?
- 27 Papa an possit asserere Episcopis Jurisdictionem à Obiecta. & Personales.
- 28 Clavis Jurisdictionis Cardinalium, Abbatum, & Prælatorum Regularium. An etiam Abbatisiarum?